



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 9. Dives sit virtute, maximè misericordiâ. Miscellanea.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Tunc non ascendent, sed cadent. Prov. 11. 28.  
*qui confidit in divitiis, corruet.* Summa  
Prædic. Divitiæ.

## §. VIII.

*Divites honorantur, promoventur.*

**F**U<sup>1</sup> (Berzellai) *vir dives nimis.* 2. Reg. 19.  
32. Pagnin. & Sept. *vir magnus etas*  
*valde.*

*Eras ibi mulier magna.* 4. Reg. 4. 8.  
Magna, id est, dives, potens, ut explicat Lyr.  
Carthuf. Hugo.

*Confundantur omnes, qui adorant scul-*  
*ptilia.* Pf. 96. 7. Divites, quando habent divi-  
tias, honorantur ut imagines aurò circumdatæ.  
Hugo Card, hic.

*Venit quidam homo dives.* Matth. 27.  
57. Quia Joseph dives, & nobilis, fuit; fa-  
cile impetravit à Pilato, quod petiit: ideo Evan-  
gelistæ dicunt, quòd fuerit *dives.* & *nobilis*  
*à curto;* non ad saclantiam, quòd talem di-  
scipulum habuit JESUS; sed ad insinuandum,  
cur ei patuit ad Pilatum accessus; qui pauperis  
ingressum, & preces, sprevisset. Dion Carth.  
hic. Joseph ab Arimathæa dives dicitur: ut  
ostenderet causam, quare à Pilato potuerit impe-  
trare Corpus JESU; vel unde accessum ad eum  
habuerit. S. Paschasius.

## §. IX.

*Divites sit virtute, maximè mise-*  
*ricordiâ.*

**F**ilii Joseph in duas divisi tribus, Ma-  
nasse, & Ephraim. Jos. 14. 4. Cæteri  
filii Jacob quisque suam tribum dedit populo  
DEI; Joseph autem duas constituit. Cur hoc?  
Joseph solus è fratribus pauper fuit, & dives.  
Pauper, dum servus Ægyptius factus, & in-  
carceratus, omnibus bonis spoliatus, & ami-  
cis: dives fuit Prorex Ægypti. S. Hieron. ep.  
ad Salvinam: Joseph, qui in egestate, & in  
divitiis, dedit experimenta virtutum; qui &  
servus, & Dominus, docuit animæ libertatem;  
nonne post Pharaonem regis ornatus insignibus?  
Sic DEO charus fuit, ut super omnes Patriarchas  
duarum tribuum pater fieret. Bæza t. 2. l. 6.  
§. 3.

*Quid faciam?* Luc. 12. 17. Parata tibi  
responsio fuerat: esurientium animas implebo;  
aperiam horrea, & omnes vocabo pauperes;  
imitabor Joseph Gen. 41. 56. humanitatis lau-  
dibus vocem emittam magnificam: quicumque  
panibus egetis, venite ad horrea mea. Ne puta,  
omnia tuo ventri preparari, Quæ in manibus ha-  
bes, ut aliena existima &c. S. Basilus serm. in div.  
avaros.

DEO, gratitudinis ergo, aliquid tribue;  
quòd ex eorum es numero, qui de aliis bene  
mereri possunt; non qui aliorum beneficentiâ  
opus habent; quod non ex alienis manibus  
pendes, sed ex tuis aliis. Da operam, ut non  
solum opibus, sed etiam pietate; non solum  
aurò, sed etiam virtute, sis locuples. Cura,  
ut proximo tuo idcirco præstantior sis, quia  
benignior. Fac calamitoso sis DEUS,  
DEI misericordiam imitando: nihil enim  
tam divinum homo habet, quam de aliis  
bene mereri. S. Greg. Naz. or. 27. de paup.  
amore.

Eto dives in misericordia, si semper vis esse  
dives. S. Chrysol. l. 104.

Extiterunt in omni tempore, & in no-  
stra ætate non desunt, sicut & boni paupe-  
res, ita & boni divites. S. Prosper ep. ad De-  
metriadem.

Elemosynarius est sicut nutrix, quæ  
lactat puerum. Nam sicut nutrices conue-  
verunt impinguari, ut abundant lacte, &  
bene nutriant pueros. Sic Dominus impin-  
guat divites bonis temporalibus, ut abun-  
dent lacte compassionis, & nutriant filios,  
id est, pauperes suos. S. Bonav. diæt. sal.  
cap. 16.

Pauperes utilitati divitum causâ facti sunt;  
ut, factâ inter utroque comparatione, facilius  
agnoscant divites Dei erga se beneficentiam. Isid.  
Clarius or. 10.

## Miscellanea.

*Homo quidam erat dives.* Luc. 16. 1.  
Et quis erat homo iste? nisi CHRISTUS. Et  
quomodo dives non erat, cui ministrabant  
Angeli? Virtutes parebant? elementa ser-  
viebant? Et habebat villicum. Quem?  
nisi hominem: Cui ad colendum Mundum  
tota fuerat commissâ possessio. S. Chrysol.  
l. 125.

*Divites* Luc. 16. 19. Dicitur, ait S. Bo-  
navent. non solum propter divitiarum posses-  
sionem, sed etiam propter nimium earum  
amorem.

Iste demum verè dives est, qui ditescere  
non cupit; qui pauper esse non vult.  
S. Chrylostomus Serm. 2. in Philippent.  
cap. 1.

Vis ditari? amicum habeas DEUM; &  
omnium ditissimus eris. Id hom. 2. ad pop.  
Antiöch.

